



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructorii Conscientiæ R. P. F. Lvdovici Lopez Ordinis Prædicatorvm ...**

In qua reliquæ materiæ quæ ad Instructionem Conscientiæ pertinent ex  
Orthodoxis Ecclesiæ iudiciis & scholasticorum Theologorum, tum  
Iurisconsultorum resolutionibus scitu perutiles latè & copiosè disputantur

**López, Luys**

**Lvgdvni, 1588**

De præcipientibus, & adiuuantibus ad damnu[m], quales etiam sunt  
executores & ministri. Cap. XVI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41259**

solum expellendi ab eo, vel includendi, donec de damno dato, dominus eius monitus satisfaciatur. nisi privilegium, vel consuetudo, vel aliquod statutum contra disponeret. Porro cultos silvæ communis etiã iuratus aut sola fide adstrictus non peccat, neque restituere tenetur, si dissimulaverit cum cedentibus ligna tali necessitate pressis, quæ à peccato eos excusaret, & non permitteret eis ultra quam talis necessitas exigit, si hanc necessitatem sciret alioquin dubitatio non excusaret, quia in dubio tutiora sunt eligenda capi. ad audientiam de homicidio. sed de hoc plura supra.

De Damni iniurio. a. Etio. consti. tu. per leg. Aquil. §. ceterum. Iust. & in cap. si la. è rit. de iniur. & dāno dato

De præcipientibus, & adiuuantibus ad damnū, quales etiam sunt executores & ministri.

l. Q. Restitut. ff. eo. tit.

C A P. XVI.

l. arg. cap. fin. de consuet. c. privileg. 3. dist. Et omnes popu. ff. de iust. & in re.

Ætera minutiora circa caput hoc de participantibus in damno dato (licet principaliora supra dicta sint) recurramus oportet, in qua materia Navar. Licet milites videatur excusare à restituendo insolidum, quia non fuere nisi causa partis actionis, & damni: sicut exēplificavit de socijs Burgonij ducis inualoris Romanæ urbis, sed supra satis abunde disputabimus contra hanc sententiam Navarri ex mente Soti, & Caietani dicentes quid sit tenendū. Sed & etiam eius sententiã quã eodem capi. & nume. 130. tenet, scilicet quod nullus ex accipientibus minimum, id est razemum, quando vnusquisque eorum ignoravit furta aliorum teneatur restituere (etiã si sic totam vindemiauerint vineã falsam reputamus) sicut talem eam esse, vel certe minus veram Corduba, & Sotus reputant. Neque ratio Navarri ei suffragatur, quia nullus (inquit) eorum damnum notabile fecit, quia satis est per talia furta minima dominus sit gravatur læsus, vt ad grauem læsionem tollendam, ratione læsionis grauis per omnes simul illatæ, teneatur vnusquisque restituere sublatã partē, cū damnū, rescuerint fuisse graue illatū, vbi & alias fortiores superaddidim⁹ rationes

a Sum. lat. ca. 17. num. 130.

Et quia de participantibus in damno dato, reliquias colligimus, & quia inter participantes refertur iubens, dicimus primo de iubente. Si suo mandato quis indicat

rem

rem licitam, ludum hastarum à principe iussum & præter intentionem suam inter hastiludium acciderit damnum, id est homicidium non est talis homicidij reus, neque obnoxius ad eius restitutionem. Quia damnificas est agens ex intentione. Hic autem damnum præter intentionem accidit. Et quamvis hæc sit sententia fratris Iosephi in suis floribus: tamè vt maiori veritate polleat, eam accepimus, quatenus talis præcipiens pro qualitate negotij debitam cautelam adhibuit: ne id damnum sequeretur pro suo debito, & posse.

¶ Secundo dicimus, si præcipiens præcipiat rem illicitam, ex qua de per accidens, id est præter intentionem sequitur est proximi damnum, non caret obligatione restituendi. vt si herus præcepisset famulis segetes Petri cremare, & ipsi segetes Ioannis cum Petri essent segetes, combussere tenetur de damno illato Ioanni. Nam per sui præcepti executores, immediate damnum illatum est: secus est si vt antea diximus seruus iussu heri præipientis percutere, Petrum percussisset, & à pratore tanquam percussor Petri comprehensus sit Ioannes, quia Ioanni in nihilo est debitor, quia neque mediate vel immediate herus per suum præceptum causa extitit illius damni illati Ioanni, quia sola fuit occasio accepta ex vulnere, de hoc plura supra, colligitur ex capite continebatur de homicidio, sed supra hoc punctum egregia supra notauimus.

*b Verbo  
Usura. 7.  
§. 5.*

¶ Postquam distinximus de præcipiente, de executore mandati super est dicendum. Nam, an in omni casu teneatur restituere ab aliquibus est dubitatum. Nam Caiet. & Syluester, <sup>b</sup> duas referunt opiniones primam negatam executores mandati teneri ad damnum, si illud per aliud poterat inferri, inferendumq; erat: & aliam contrariam omnino quæ est Alexandri, Ricardi, & Soti, quam certo dico fore amplectendam cum suo moderamine. ¶ Pro cuius difficultatis illucidatione statuitur prima propositio minister & executor qui fuit causa iniquæ actionis absque dubio obnoxius sit ad restituendum, est propositio, contenta in iure ex cap. si culpa de iniurijs.

*c Qui cau-  
sam dāni  
dat dam-  
num dedis-  
se videtur.  
l. qui occi-  
derit. §. in  
hac ad l.  
Aquil. l.  
nihil inter-  
est. ad leg.  
Cornel. de  
Siccar.*

¶ Hinc sequitur curesores proxenetas inter vsurarium & soluentem vsuras mediantes teneri ad restitutionem, quod quidem corollarium, quia à fratre Iosepho in suis floribus

floribus absolute est positum, censeo sic fore limitandū, quod verum sit, quando talis mediator inter contrahendos contractus fœneraticios, mediat inductus ab usurario, aut sola causa lucri quod inde reportat, tunc tenetur plane restituere. Si autem talis mediator inductus ab indigente pecuniis, & non aliter pro indigente pecuniis apud usurarium interpellaret, ut huic indigenti, & volenti recipere mutuum sub usuris, postquam non impetrauit aliter, concedat mutuum sub usuris, tunc ad usuras sic extortas restituendas, iste mediator astrictus non manet, quia iniquum esse videtur secundum fratrem Ioannem de la Pina cum in ineundo contractum usurarium, non ex parte sua, vel usurarij, sed ex parte petentis mutuum sub usuris, astauerit ab eo sciente, & volente rogatus intercedere: quod huius rei gratia ei usuras restituere teneatur iste mediator.

¶ Sic neque tabellio tenetur qui solo rogatu volentis se causa mutui obligare ad usuras, instrumentum usurarum conficeret palliatum, quia scienti & volenti non fit iniuria, ex parte gratia solum illius mediantis.

¶ Ex prædicta quoque propositione etiam secundo corollarie, sequitur milites cognoscentes tempore belli bellum à se geri iniustum teneri in solidum regulariter, secundum Sotum, Caie: & fratrem Iosephum quidquid dixerit Nauarrus, cuius assertum ut supra ostendi vix vel raro est intelligibile in materia morali, ut possit reduci ad practicam.

¶ Secunda propositio minister qui non est causa læsivæ actionis, quia iam est consummata, nullius sit reus restitutionis ut minister, qui post contractum iam consummatum fœneraticium, illum excipit alveolo fœneratoris, ne forte à memoria illius elabatur, est Soti in de iustitia & iure, est fratris Iosephi in suis floribus.

¶ Sed quid de ministris nomine usurariorum contrahentibus, aut usuraria debita postea exigentibus. De his sit tertia propositio ministri usurariorum qui veluti eorum factores, nomine ipsorum fœneraticios ineunt contractus, ad restitutionem usurarum sunt obligati. Hæc est Soti libro sexto de iustitia & iure, quæstione. 1. articulo quarto prope finem, cui nemo iure refragatur, quia isti

II. Pars. F. L. Lopez. Instr. Consc. g pecu

Q. 1.

pecuniam fœnori dantes tenentur ratione iniustæ acceptionis. Quæ omnia intelliguntur si vsurarij non restitunt, & isti ministri soluendo sunt. Vnde operam tenetur dare vt vsurarius soluat. Quod si non profecerint arbitratu Sotus esse casum conueniendi creditores, & obnixè deprecandi eos, vt debitum totum, vel partem sibi relacent. Est enim tunc misericordiæ locus maxime si illi ex aliqua ignorantia peccarunt. Si autem ignorantia talis esset in his ministris secundum Sotum, quæ omnino excusaret à culpa: excusaret eos quoque à restitutione, si rem vsurariam penes se non retinerent, quia tunc neque ratione rei acceptæ, neque ratione iniustæ acceptionis tenerentur. Sed adeo est patens malitia vsurarij criminis, vt protectione excusationis careat, nisi forte in casibus dubiis, vbi vtrunque versantur opiniones inter doctores. Nam tunc qui absque remorsu conscientiæ est, poterit minister ascoltare doctoribus, qui bonæ sunt autoritatis in inuendis huiusmodi contractibus.

Qd. 2.

¶ Sed quid de aliis ministris vsurarij recuperantibus debita vsuraria. De his nãque ait frater Iosephus in suis floribus in materia de restitutione quod sine dubio minister vsurarij iussu vsurarij vadens ad petendas vsuras, obnoxius est restitutioni, etiam si mutuatarius sponte esset solutus. Quia tantumdem est ac si dixisset, vade & rape. Quia non sponte soluit, & tandem inquit quia est executio contractus vsurarij, ipsa petitio debiti vsurarij pecuniatate peccatum est. At Sotus <sup>d</sup> cõtrariam opinionem

*A Sotus de iustit. & iure. q. 1. art. 4.*

prorsus tenet: vbi ait quod sunt alij ministri, qui proprie non dicuntur esse causæ, vt famuli qui pecunias portant, & seruant. ¶ Etat verbi gratia mutuatarius solutus mittit fœnerator per famulum ad petendũ, & tradit alteri ad custodiendum illi proprie nõ sunt causæ. Imo nec credo quod amanuenses: qui in commentarios rationes dati, & accepti referunt. Nam isti tantum memoriæ subseruiunt hæc Sotus. Nauarrus autem <sup>e</sup> à Soto dissentire & eiusdem sententiæ cum fratre Iosepho videtur esse, vbi ait quod etiam tenetur restituere famulus: qui solum pecuniam petit, aut pignora, aut solutionem vsurarum accepit. Allegat in hanc suam sententiam Catet <sup>f</sup> contra alios.

*e Summa Lat. c. 7. num. 267. f Sum. & 22. q. 62. art. 7.*

¶ Igitur pro decisione questionis sit quarta propositio,

ficio ministri destinati ad petenda debita vsuraria, qui sic instant in petendo importune, molestis exactioibus, vel interdum minantes executionem in bona mutuatario- rum per ministros iustitiæ, nisi soluerint, tenentur plane in subsidium vsurarij domini non restituentis, ipsi resti- tuere: nisi protegantur ignorantia, & à culpa & restitu- tione excusante. In hac conclusione puto omnes con- uenturos hos doctores, nam iam minister hic per suam molestiam, & importunam instantiam proprie causa in- iusta exactiois esse videtur, & in hoc sensu vera est sen- tentia Nauarri fratrisque Iosephi.

¶ Quinta propositio, quando aliquis vsurarij famulus, qui ex officio ad exigenda hæc debita præfectus non erat, semel aut bis missus est à domino vsurario, ad peten- da hæc vsuraria debita, ipse que sine instantia, & molestia simplicem petitionem si proponeret ex parte domini mu- tuatario alias soluturo, quia propter instrumentum pal- liatum potest cogi in foro exteriori ad soluendum, in hoc casu non est condemnandus minister hic ad restitutionem, si simpliciter proponens petitionem, sine exactioe ex parte sua accepit solutionem, & reportauit ad dominum.

¶ Et in hoc sensu quintæ conclusionis acceptanda vide- tur opinio Soti loco citato, & Sylu. ver. Vsura: 7. q. 4. ubi addit quod minister qui non taxat premium, neque cum eo contrahitur, sed solum pecuniam manualiter tradit, aut recepit pignus, aut pecuniam restituere non tenetur: quod intellige inquit ibi Syluest. nisi ad eum aliquid per- uenerit, vel cooperatus sit ad exactioem, hæc Syluest. Exa- ctio autem petitionem alicuius quasi debiti proprie importat.

¶ Nunc autem patet quinta propositio quæ est Soti & Syluest. loco citato, quia iste non est proprie causa dam- ni, tum quia non exigit illud tanquam debitum per mo- lestam instantiam, sed simpliciter ponit petitionem ex parte domini. Neque hoc est rapere ut ait Iosephus, quia rapere importat violentiam, sed sic interpretanda est be- nigne petitio, hoc mihi mandat dominus suo nomine ut petam, parum mea refert soluas, vel non soluas, tu age quod vis. Tum etiam, quia si ille mutuatarius alias para- tus erat soluere debitum, per hoc quod minister quasi nihil aliud fecit, quam per propositionem petitionis ex

parte domini reducere ad memoriam solutionem illius debiti quare tenebitur illud restituere? ¶ Quinimo regulariter mutuatarij cum instrumentis palliatis inique consensere, videant se in iudicio posse cogi ad soluendum, sine litibus malunt soluere, paratique sunt ad soluendum, quare famulo simpliciter proponenti verbo tenus tantum petitionem, si soluerit mutuatarius ad restituendum sibi hic famulus manebit obnoxius, quia iste famulus illum ad soluendum non cogit sed cautio palliata, quam praestitit usurario de tanto sibi debito soluendo.

¶ Cōcludimus ergo quod si aliquis alius tertius diceret mutuatario huic, postquam cogendus est in iudicio hæc debita iniuste soluere, consultius est tibi & melius soluere sine sumptibus, & litibus, non tenetur propter hoc restituere, ita neque famulus tantum proponens sine molesta exactione petitionem ex parte domini. De aliis participantibus cum usurario materia de usura age mus.

¶ De cooperantibus ad dānū, siue per consensum siue aliter, & de cōfessario.

## C A P. XVII.

**N**unc autem de consentientibus iniuste actioni, licet plura dixerimus ante, reliqua ne quid defuerunt nobis sub breuitate perstringenda.

Q. 1. ¶ Et primo quaeritur an iudices iniquam ferentes sententiam teneantur in solidum. ¶ Respondetur succincte tenentur proculdubio in solidum, quia in partibilis actionis, id est prolationis sententiae iniustae fuisse causa, sicut quando simul quidam concurrunt ad comburendam vicini domum.

Q. 2. ¶ Sed de suffragatoribus quia abunde supra dictum est ubi proposuimus, & aliquantulum moderati sumus quandam sententiam Cordubae, solum perstat dicendum de difficultatis puncto circa suffragantes occulte, tacitisque nominibus, post sanctionem Concilij Tridentini, scilicet an qui in electione occulta praetorum, & cathedrarum suffragantur pro indigno, restituere teneantur casu quo ille indignus multorum ultra medietatem, vel fere omnium calculis sit electus. Et ratio haesitandi est, quia in huiusmodi occulta